

Isidorus, Kardinalbischof von Sabina, erteilt den Besuchern der Kapelle St. Mamerta in Triesen Ablass.

Or. (A), PfarrA Triesen, U5. – Pg. 45,6/34,6 (Plica 7,3) cm. – Siegel besch., Siegelbeschreibung und Abb. bei Liesching/Vogt, Siegel, S. 126, Nr. 118. – Rückvermerk (17./18. Jh.): Centum dies indulgentiarum in capella sancti Mamerti 1461 prima octobris. Pontificatus sanctissimi papae Pii secundi anno quarto.

Regest: Büchel, Pfarrei Triesen, S. 14.

¶ Isidorus^{a)} ¶ Sabinensis¹ miseracione divina sacrosancte Romane ecclesie episcopus cardinalis, ¶ universis et singulis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis visuris pariter et audituris salutem in domino sempiternam. Splendor ¶ paterne glorie, qui sua mundum ineffabili illuminat claritate, pia vota fidelium de ipsius clementissima maiestate sperantium ¶ tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut capella sancti Maumartini in Drisen² Curiensis diocesis congruis frequetur honoribus et ut Christi fideles eo libencius devocionis causa confluant ad eandem, quo ibidem dono celestis gratie uberius se noverint fore reffectos et a Christi fidelibus iugiter veneretur. De omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis vere penitentibus contritis et confessis, qui dictam capellam in nativitate pasche penthecostes domini nostri Jhesu Christi sancti Galli et ipsius capelle dedicacionis festivitatis et celebritate huiusmodi visitaverint annuatim et ad reparacionem ac conservacionem edificii calicum librorum aliorumque ornamentorum pro divino cultu inibi necessariorum manus quocienscumque porrexerint adiutrices, nos cardinalis prefatus pro qualibet die ipsarum festivitatum et celebritate huiusmodi centum dies indulgentiarum de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus presentibus vero perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum presentes litteras nostras exinde fieri nostrique cardinalatus sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Rome in domibus nostre solite residencie sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo die vero prima mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii divina providencia pape secundi anno quarto.

^{a)} *Initiale I 13,5 cm lang.*

¹ *Isidor von Thessalonike, 1452-1462 Kardinalbischof v. Sabina. – ² Kapelle St. Mamerta in Triesen.*